

tentionaliter sumantur, & alterum, ut quid, alterum vero, ut modus. Hæc ex secunda conclusionem constat: hæc enim est vera æquiuocum est vniuocum: sumpto æquiuoco, ut quid, & vniuoco, ut modus.

ARTIC. III.

An omne nomen sit æquiuocum?

QUOD non videtur ex solutionibus ad septimum, & octauum, in quibus vult Doctor, animal non esse æquiuocum ad hominem verum, & pium; nec hominem ad prædicari de Petro, & ut de ipso prædicetur species: ergo non omne nomen est æquiuocum. Pro intelligentia notandum: quod quodlibet nomen ad placitum, vniuocum sit, potest esse expressiuum, vel sui significati immediati, ad quod significandum imponitur: ut homo respectu humanitatis, vel est expressiuum plurium conceptuum, quos de ipso formamus: ut homo significat se, & sibi similia, vno conceptu, qui est naturalis similitudo sui ipsius: significat etiam naturam humanam alio conceptu, qui est illius similitudo etiam naturalis.

1. Conclu.

Dicendum primo. Nomen vniuocum respectu sui immediati significati, ad quod significandum imponitur, non est æquiuocum: hæc de se patet.

2. Conclu.

Dicendum secundo. Quodlibet nomen vocale, seu scriptum, ad placitum significans potest dici æquiuocum aliquo modo: probatur: quodlibet nomen plura diuersis conceptibus significans est æquiuocum, sed quodlibet nomen vocale, vel scriptum, ad placitum significans est huiusmodi: ergo quodcumque tale est æquiuocum: patet minor de homine, quod diuersis conceptibus significat se, & humanitatem, quibus solum nomen est commune, & ratio substantiæ est diuersa. Igitur.

Ad Doctorem respondeo: ipsum loqui in sensu primæ conclusionis: non vero negare secundam: nec ex illa sequitur, omnem propositionem esse distinguendam: nam omnis propositio coalescit ex terminis, prout ad placitum sunt impositi ad suum significatum immediatum significandum: & cum respectu talis sint vniuoci, ideo propositio non est distinguenda. Alia quam plurima, quæ de æquiuocis hic moueri poterant, vide apud Doctorem in primo Elenchorum, vbi de illis pluris scitu dignissima reperies.

QVÆST. VI.

An diffinitio vniuocorum sit conueniens?

Vniuoca vero dicuntur, quorum nomen commune est: & secundum illud nomen, eadem substantiæ ratio, &c. Cap. 1.



VERITUR: de diffinitione vniuocorum: An sit conueniens? Hæc, scilicet, vniuoca sunt, quorum nomen commune est, & ratio substantiæ eadem,

secundum illud nomen: videtur quod non, & potest argui per tria prima argumenta facta ad præcedentem questionem, & consimiliter soluantur, sicut ibi sunt soluta.

Item, album prædicatur de homine, & de equo, secundum eandem rationem: aliter enim esset æquiuocum: & tamen non est vniuocum prædicatum respectu istorum: quia est denominatiuum. Similiter arguitur de omni prædicato denominatiuo: & maxime de intentionibus: quia hoc prædicatum, genus, dicitur secundum eandem rationem de substantia, & quantitate: & tamen non est vniuocum: quia est denominatiuum: & vniuocum, & denominatiuum, sunt oppositi modi prædicandi: sicut vniuocum, & æquiuocum.

Item, omnia æquiuoca habent idem nomen: scilicet, hoc nomen, æquiuoca: & eandem rationem substantiæ: scilicet, essentialem; secundum illud nomen: scilicet, rationem æquiuocorum: igitur, si dicta diffinitio esset conueniens: omnia æquiuoca essent vniuoca, quod falsum est: quia oppositum prædicatur de opposito.

Item, quorum substantia, id est ratio essentialis, est eadem, ipsa sunt eadem essentialiter: sed vniuoca vniuocata habent eandem rationem substantiæ vniuocantis: ergo omnia vniuoca essent

essentialiter, quod falsum est: quia sic homo, & alinus, essent idem essentialiter.

Ad oppositum est Aristoteles.

Dicendum, quod est notificatio conueniens; & potest conuenienter intelligi de vniuocatis sic: vniuoca sunt, quorum; non ut significatorum; est nomen vniuocantis commune: quia illud nomen non significat aliquod vniuocatum, sed quorum, ut contentorum sub vniuocante, est nomen vniuocantis commune, & ratio substantiæ vniuocatorum eadem, secundum illud nomen vniuocans: & tunc nullum nomen vniuocum vniuocans est denominatiuum respectu eiusdem: quia denominatiui ratio non est ratio substantiæ denominatorum. Similiter potest intelligi de vniuocantibus sic: vniuocantia sunt, quorum nomen, ut pars totius, commune est vniuocatis, & ratio substantiæ vniuocantis eadem vniuocatis secundum illud nomen. Non autem potuit diffinitio æquiuocorum intelligi de æquiuocantibus: quia illorum non est nomen: cum nihil sit æquiuocans, nisi sola vox. Similiter non habent aliquam diffinitionem: ergo nec diuersam, nec eandem, sed neutrum istorum impedit hanc diffinitionem intelligi de vniuocantibus: quia & istorum est nomen: quia non solum nomen vniuocat; & ista habent eandem rationem substantiæ. Aristoteles tamen magis videtur intelligere de vniuocatis: dicit enim, ut animal; Homo, atque Bos: communi enim nomine vtraque animalia nuncupantur, quod manifestum est, dici de vniuocatis. Et subdit de ratione eadem. Si quis assignet vtriusque rationem; quid vtrumque sit in eo, quod sunt animalia, eandem assignabit vtriusque rationem, quod similiter manifeste refertur ad vniuocata.

Ad primum argumentum dicitur, quod nullum denominatiuum habet rationem substantiæ respectu illius, respectu cuius est denominatiuum: licet in suo genere possit habere rationem substantiæ: & ideo nullum denominatiuum prædicatur secundum eandem rationem.

Contra hoc: Denominatiuum non re-

cipit magis & minus, nisi respectu subiecti, respectu cuius, est Denominatiuum: sed Aristot. 3. Topicor. ad concludendum, accidens de aliquo, secundum magis, & minus, docet considerare diffinitionem, accidentis, quod magis suscipiat propositi, id est accidentis, rationem, ut albus, quod est coloratum, magis disgregatiuum visus: ergo denominatiuum, respectu illius, cuius est denominatiuum, habet rationem substantiæ. Probatio primæ propositionis: Porphyrius cap. de Differentia dicit, esse autem vnicuique vnum, & idem est, neque suscipiens intensionem, neque remissionem: hoc est, essentia cuiuslibet consistit in indiuisibili: illam enim propositionem adducit ad probandum, Differentiam non suscipere magis, & minus, respectu cuius est per se Differentia: ergo denominatiuum in suo genere, in quantum est quid in se ex suo genere, & sua differentia, non recipit magis, & minus: igitur tantum in comparatione ad obiectum, quod denominat.

Potest dici aliter ad primum argumentum, quod homo, & equus, non sunt vniuocata sub albo: nec quæcumque alia sub aliquo prædicato denominatiuo: quia vniuoca sunt, quorum est nomen commune, & ratio substantiæ vniuocantis eadem, quæ ratio est etiam eis substantiæ ratio, licet non propria, ratio autem albi, vel cuiuscunque denominatiui, non est ratio substantiæ denominatiuorum, sed quia ratio sic est de Denominatiuo, quod prædicatur secundum idem nomen, & eandem rationem substantiæ denominatis, ideo dicendum: quod diffinitio de vniuocantibus sic debet intelligi: & ratio substantiæ eadem, quæ ratio est essentialis vniuocatis, quod non est verum de denominatiuo, nam secundum Aristot. inferius cap. de Substantia, album prædicatur de corpore, rationem vero albi prædicari de illo, impossibile est, quod est intelligendum ita, quod illa ratio sit ratio corporis.

Ad secundum argumentum potest dici dupliciter, vno modo concedendo conclusionem, quod omnia æquiuoca sunt vniuoca, nec prædicatur oppositum de opposito, nisi forte in respectibus.

Vel aliter dicitur, quod non sequitur: æquiuoca habent hoc nomen commune, æquiuocum, & rationem substantiæ huius eandem: igitur hæc

bēt idem nomen, & eandem rationem: sed est fallacia secundum quid, & simpliciter: quia habere hanc rationem eandem, est simpliciter habere diuersam rationem, & secundum quid eandem: sicut conuenire in differentia, est conuenire secundum quid, & differre simpliciter.

Ad tertium dico: quod quorum est ratio substantiæ propria, & completa eadem, ipsa sunt eadem: sed vniuocatorum non est ratio eadem propria: licet ratio vniuocantis sit eadē eis: quia nulli vniuocato est propria.

Summa textus, simul & explicatio.

AB hac quæst. quia facilis est, & ex præcedente, imo ex præcedentibus, manet explicata, breuiter nos expediemus. In ea igitur cum Aristotele inquit Doctor de 2. Antepredicamento: an, scilicet, definitio vniuocorum, quam ipse Aristot. tradit, sit bona, ac sufficiens? Partem negatiuā tribus argumentis probat, quæ clarè sunt posita in littera: quibus non obstantibus suas statuit conclusiones, dicens.

1. Conclus.
2. Conclus.

Primò, Notificatio vniuocorū est sufficiens. Secundò dicit, Prædicta definitio potest intelligi, tam de vniuocis vniuocatis, quam de vniuocis vniuocantibus: habetur ibi: similiter potest intelligi de vniuocantibus.

3. Conclus.

Tertiò dicit, Secundum Aristotelis mentem præfata definitio datur principaliter de vniuocis vniuocatis: habetur ibi: Aristoteles tamen magis &c. Et vt has conclusiones probet, supponit, vniuocum esse duplex: vniuocum vniuocans: & vniuocum vniuocatum: & quodlibet illorum adhuc potest dupliciter sumi, primè, aut secundè intentionaliter: vniuocum vniuocans primè intentionaliter est terminus significans aliquid commune pluribus per se primo: & illa plura per se non primo vt homo per se primo significat naturā humanā cōmunē pluribus indiuiduis, quæ indiuidua secundario significat. Vniuocū vniuocans secundè intentionaliter est respectus rationis fundatus in ipsa voce, & ad sua significata terminatus. Vniuocū vniuocatum primè intentionaliter est aliquid cōmune primo per vocē significatū, vel inferiora illius cōmunis: vt in exēplo de homine apparet: licet iam obtinuerit vltus, vt illud cōmune dicatur vniuocū: & sit inferiorā vniuocata. Vniuocum vniuocatum secundè intentionaliter est respectus rationis fundatus in vniuocatis primè intentionaliter sumptis, & in esse cognito, & ad ipsam vocem vniuocantem terminatus. Vnde definitio de vniuocis secundè intentionaliter sumptis intelligitur.

His à Doctore tanquam ab omnibus suppositis, probat primam conclusionem, ac etiam secundam, auctoritate Aristotelis, & per ipsius definitionis explicationem, & accommodationem, utriusque vniuoco, dicens: vniuoca vniuocata dicuntur, vel concipiuntur, quorum nomen vt significata sunt (nam nomen vniuocum non significat per se primo aliquid vniuocatorum) sed prout sub vniuocante continentur: nomen ipsum vniuocans est commune: & ratio substantiæ, seu conceptus essentialis vniuocatorum est eadem secundum illud nomen vniuocans: hoc est clarius: vniuoca vniuocata sunt, quorum nomen, in quo vniuocantur, est cōmune: & ratio substantiæ, seu quidditatis per ipsam nomē per se primo significatæ est illis eadem essentialiter, tanquam pars communis, & inada quatuor ipsorum.

De vniuocis vniuocantibus sic intelligi potest: vniuoca vniuocantia sunt, quorum nomen, vt pars totius, commune est vniuocatis, & ratio substantiæ vniuocantis eadem vniuocatis secundum illud nomen. Ex qua explicatione, & accommodatione, patet prima conclusio: quod scilicet hæc notificatio sit sufficiens, potestque vera definitio appellari eo modo, quo definitione æqui-uocorum propriam appellauimus.

Patet etiā 2. conclusio: & exēplum apparet in animali quoad vtrāque partē: homo enim, & Leo in ipso vniuocantur, quia ipsum quoad vocē est illis cōmune: & natura animalitatis est eadē illis: quia est pars propria ipsorum quidditatis. Vtrā etiā animal, vt vniuoca vniuocans, & ratio, quā dicit, vt sic, est illis cōmune, & idem.

Et si quæras: quare definitio æqui-uocorum non potest intelligi de æqui-uocis æqui-uocantibus: sicut intelligitur de definitio vniuocorum. Respondet Doctor: quia æqui-uocantia non habent nomē, cum nihil sit æqui-uocans, nisi sola vox: canis enim, vt vox est non potest habere nomen. Et etiam quia æqui-uocantia non habent definitionem, seu conceptum: a tamen vniuocantia, & habent nomen, & rationem: & ita data definitio de eis intelligi valet.

Tertiam conclusionem probat exēplis ab Aristotele adductis, quæ de vniuocis vniuocatis intelliguntur: ac per consequens de eis principaliter intelligitur definitio. Tandem soluit argumenta: quorum solutiones non indigent explicatione: nam tertia patet: de prima in quæst. 8. redibit sermo: de secunda egimus q. præced. art. 2.

Ex dictis etiam in his duabus quæstionibus de vniuocis, & æqui-uocis colligi potest, quid dicendum sit ad illud, quod communiter interrogari solet: an scilicet in mente vltimata detur æqui-uocatio, vel vniuocatio: dicendū est enim, quod æqui-uocatio actiua, seu æqui-uocū æqui-uocās, nō datur in cōceptu vltimato: bene tamen vniuocatio actiua, seu vniuocū vniuocās: prima pars probatur: æqui-uocū æqui-uocās significat plura immediate, vt plura sunt, secundū proprias essentias distinctas: sed nullus cōceptus vltimatus potest sic plura significare: quia cōceptus vltimatus est naturalis similitudo rei conceptæ, & similitudo naturalis vnius essentiæ non potest esse similitudo naturalis alterius: ergo nec potest esse cōceptus representans plura essentialiter distincta. Et hoc est, quod communiter dicitur: in mente vltimata nō dari æqui-uocationem.

Secundæ

Secunda pars patet: quia sicut datur vnum nomen significans rationem vnam pluribus communem: sic datur vnus cōceptus formalis representans eandem rationem pluribus communem: & talis representatio dicitur vniuocatio actiua mentalis: sicut in voce dicitur actiua vocalis: igitur, &c.

QVÆST. VII.

Utrum genus sit vniuocum speciebus?

Utrum animal, homo, atque bos: communem nomine vtraque animalia nuncupantur, & est substantiæ ratio eadem, &c. Cap. eod.



VERITVR, de exēplo, quod Arist. ponit ad manifestandum rationem vniuocorum: vt animal, homo; atque bos: vtrum genus sit vniuocum speciebus? Quod non videtur: quia per Aristot. septimo Physicorum: secundum vniuocum potest fieri comparatio: sed secundum genus non fit comparatio: secundum ipsum ibidem: ergo, &c.

Tex. com. 24. Tex. com. 21.

Item, si genus esset vniuocum, tanta esset vnitas generis: quanta speciei: consequens est falsum per Aristot. quinto Metaphy. cap. de vno, qui dicit: quod vnum specie inferit vnum genere, & nō e conuerso: igitur antecedens falsum. Probatio consequentiæ: species non est vnum in existēdo: sed tot, quot sunt supposita: quia non existit, nisi in suppositis, sed tantum est vnum secundum definitionem; & vnum obiectum intellectus: sed vtramque vnitatem habet genus, dato, quod sit vniuocum: igitur, &c.

Tex. com. 12.

Item, quod est vniuocum in multis, non est secundum se diuersum in illis: sed genus est secundum se, diuersum in diuersis speciebus, & non secundum accidens, per Aristot. quinto Metaph. cap. Diuersa autem specie secundum se: igitur. Maior patet: quia tunc, secundum idem, esset genus vnum, & multum, in speciebus.

Text. non habente cōment.

Item, genus predicatum de quacunque specie predicat illud totum, quod illa species: igitur, sicut nulla species est vniuoca diuersis speciebus: ita nec genus.

Et confirmatur per Aristot. septimo Metaph. genus nihil est præter species: aut si est, est vt materia: igitur non predicat aliud ab illis.

Text. com. 41.

Ad oppositum est Aristot.

Item, aliter non poneretur genus in definitione alicuius speciei: sicut nec equiuocum ponitur in definitione: æqui-uocorum: cum dicat Aristot. sexto Topicorum, & septimo Metaph. in omni definitione ponendum est genus.

Cap. 4. Text. 43.

Item, in æqui-uocis non est prius, nec posterius: quia sola vox est communis, sed genus prius est speciebus: igitur, &c.

Ad quæstionem dicendum, quod genus est predicatum vniuocum speciebus: quia predicatur secundum idem nomen, & secundum eandem rationem de ipsis, quæ ratio, siue definitio, est ratio substantiæ illis speciebus, licet non propria: quia genus predicatur de illis, in quid, per Porphyrium.

Sed cum omni vniuoco correspondeat in re aliqua vnitas: aliter substantiæ, & accidenti, esset aliquid vniuocum: du-bium est, quid sit illud vnum in re, à quo sumitur vniuocatio generis.

Et potest dici, quod omnia vnitas generis aliquam inter se cōuenientiam habent in substantiā, quam non habent cū alijs aliorum generum, quod cognoscitur ex identitate operationis, vel passionis in singularibus: illud est in speciebus imperfectum, & potentiale: quia diuersæ species habent diuersas formas perfecti uas. Aliquid igitur materiale in omnibus speciebus; siue sit materia, siue forma in completa, existens in omnibus huius generis, & non alterius, quod est principium alicuius operationis communis, vel passionis in eis, est illud vnum in re, quod cum intellectus considerat, nō vt in hoc, considerat ipsum, secundum se, essentialiter esse in differentibus specie; & et attribuit intentionem generis; & quanto genus communius; tanto eius in re minor est vnitas: & ita nomen generis, de suo primo intellectu, importat aliquid.

T 5 quod

quod est materiale in speciebus: tamen per modum totius: vt dictum est prius.

Ad primum dico, quod non secundum omne vniuocum fit comparatio: sed secundum speciem a thomam tantum, id est specialissimam, vt ibi dicitur.

Vel aliter, quod vniuocum apud Logicum dicitur omne illud, quod per vnã rationem deuenit apud intellectum, secundum quam dicitur de multis: apud Naturalem non est omne tale: sed tantum quod est vnum secundum vltimam formam completiuam: vnde dicitur, se primo Physicorum: in genere multa latent æquiuocationes: quod athen Logicus non concedit. Vnde si dicatur, secundum omne vniuocum fieri comparationem: intelligendum est tantum de vniuoco secundum Naturalem; quod est tantum species specialissima: non de omni vniuoco quoad Logicum, quomodo genus est vniuocum.

Ad secundum dico, quod maior est vnitatis in re, à qua sumitur vniuocatio speciei, quam à qua generis: quia ibi est vnitatis formæ completiue, hic tantum alicuius materialis, & incompleti. Vnde ad formam dico, quod duabus speciei vnitatis ibi enumeratis est genus vnum, sed tertia omittitur, in qua species excedit genus.

Ad tertium dico, quod ibi est æquiuocatio: quia secundum se, potest sumi esse diuise, siue solitarie: vt sumitur, per se in tertio modo: siue excludendo aliam causam: & omnibus his modis maior est vera, & minor falsa. Alio modo sumitur, secundum se, prout quinto Metaph. vt scilicet, opponitur, secundum accidens, quod aggregat in se diuersas essentias, vt homo albus, & tunc ens secundum se est quodlibet habens vnam essentiam: isto modo est maior falsa, & minor vera: & sic intelligit Aristot. quinto Metaphys. quia genus est diuersum per differentias, quæ differentia non accidunt sibi: quia differentia non faciunt vnum secundum accidens cum genere: sed vnum essentialiter.

Ad quartum patet: quia prima propositio: scilicet, genus prædicat totum: sic intelligenda est: scilicet, materiale per modum totius: quod secundum se est vniuocum; & tamen in speciebus formaliter diuersificatur: & ita maior est vnitatis generis in se; quam specierum, in

quantum differunt per differentia: quia nulla differentia est in intellectu generis, nec è conuerso.

Summa textus: simul & explicatio.

Ad explicandam naturam vniuocorum exemplificauit Philosophus in animali, homine, & boue, quæ respectu suorum inferiorum secundum nomen, & rationem, prædicantur: & cum animal sit genus ad hominem, & bouem; quærit Doctor propter hoc exemplum: an genus sit vniuocum suis speciebus: cum alibi dixerit Aristot. in genere latere æquiuocationes. Partem negatiuam probat quatuor rationibus, sed illis non cogentibus.

Dicit primo, genus esse vniuocum prædicatum, & essentialiter speciebus: hanc probat rationibus ad oppositum: & ultra, quia genus prædicatur de speciebus secundum nomen, & rationem: prædicatur enim in quid de illis, tanquam quid potentiale: ergo est illis vniuocum.

Secundo dicit: genus sumi à quodam potentiali in speciebus habente se per modum materiz: hæc super capitulum de genere probata fuit.

Tertio dicit: genus Logicè loquendo est vniuocum: Physicè autem est æquiuocum: habetur solutione ad primum, & quæst. 4. Artic. 4. probata manet.

Tandem soluit argumenta, quorum solutiones clare sunt: & idem, nec de ipsis, nec de assignatis conclusionibus aliquid se se offert discutendum: quia omnia cap. de Genere, & alibi in proprijs locis disputata manent.

1. Conclus.

2. Conclus.

3. Conclus.

QVÆST. VIII.

Verum Denominatiua differant solo casu?

Denominatiua vero dicuntur quæcumque ab aliquo solo differentiæ casu, secundum nomen habent appellatiuam: vt à Grammatica Grammaticus: & à fortitudine fortis. Capite eodem.



VAERITVR circa definitionem Denominatiuorum: vtrū differant solo casu: id est sola cadentia à principalibus, à quibus habent denominationem.

an etiam differant in significato? Et hoc est querere: vtrum Denominatiuum idè significet, quod Abstractum: scilicet, formam tantum: vel aliud, vt subiectum. Quod significet subiectum, videtur: quia significare est intellectum constituere, per Aristot. primo Perihermen. cap. de verbo. sed nomen concretum prolatum constituit intellectum subiecti: ergo illud significat. Probatio minoris: constituit intellectum accidentis: & illud, impossibile est, intelligere sine subiecto: tum quia impossibile est ipsum esse sine subiecto: & vnumquodque, sicut se habet ad esse, sic ad veritatem, idem ad cognitionem veram, secundo Metaphysic. tum, quia substantia est primum omnium cognitione per Arist. septimo Metaph. ergo nihil significatur sine illa. Per hoc etiam probatur, quod subiectum primo significatur: quia illud primo intelligitur prolata voce: quia accidens non potest sine illo intelligi: & illud est prius cognitionem Accidente per Aristot. septimo Metaph.

Tex. com.

4.

Tex. com.

4.

Tex. com.

4.

Text. 35.

Tex. com.

28.

Tex. com.

4. & inde

Item, terminus idem significat, quod supponit: sed terminus accidentalis concretus supponit subiectum: ergo, Maior patet: quia terminus supponens, ex hoc, quod supponit, non habet nouum significatum. Probatio minoris per Aristotelem primo Poster. hæc est per accidens: album est lignum: quia significatur, quod illud, cui accidit album, est lignum: igitur illud, cui accidit album, vt subiectum, ibi supponitur per album.

Item, idem significat nomen, & definitio, quarto Metaph. ratio, quam significat nomen, est definitio: sed definitio concreti habet in se subiectum, & Accidens: igitur nomen hoc significat: terminus patet per Aristot. in septimo Metaph. dicentem, quod Accidens diffinitur per substantiam.

Item, dictio exclusiua excludit quodlibet, quod est extra per se significatum termini, sed talis dictio exclusiua addita termino concreto non excludit subiectum: igitur, &c. probatio minoris: si dico, tantum album currit: non excludit corpus currere: quia includitur. Probatio: sequitur, tantum album currit: igitur album currit: & ultra, igitur corpus currit: igitur à primo ad vltimum: & ita corpus non excluditur.

Item, hoc videtur per auctoritatem

Commentatoris super primo Physico. Com. 25. ram, vbi dicit: quod nomen concretum significat formam, & susceptum. Et 2. Metaph. dicit Commentator, quod significat ambo. Com. 34.

Item, Aristot. in septimo Metaph. dicit, quod in diebus secundum accidens non est idem quod quid est cum illo, cuius est, propter duplex significare: vt nificum, & album: igitur, huiusmodi significant duo.

Ad oppositum est Aristot. hic dicens, quod Denominatiua differunt solo casu à principalibus: ergo non significato: sed Abstracta non significant subiectum: quia tunc non essent in aliquo genere: ergo nec Denominatiua.

Item inferius, cap. de substantia dicit: quod album solam qualitatem significat.

Item, Commentator 5. Metaph. dicit Aristotelem velle, quod tantum significet formam: & ratio huius est, quia aliter esset nugatio addendo accidens cum subiecto: quod videretur inconueniens: consequentia patet: quia ponendo rationem concreti loco nominis, idem subiectum bis diceretur.

Item, si concretum significet subiectum igitur hæc, album est lignum, esset secundum se: quia subiectum quoad suum significatum natum esset per se supponere: & prædicatum esset de esse subiecti: e conversens tamen est falsum, per Aristotelem 1. Posteriorum,

Item, Si album significet subiectum & accidens: sicut homo albus: igitur esset secundum accidens: quod videretur esse contra Aristotelem 5. Metaph. quia diuidit ibi ens secundum se in decem genera.

Item, si concretum significet subiectum, tunc non diffiniretur per additamentum: consequentia patet: quia tunc quidquid poneretur in eius diffinitione, esset de ratione essentiali eius: consequens est contra Aristot. septimo Metaph.

Item, impossibile est rebus diuersorum generum generalissimorum esse aliquam rationem substantia communem: igitur nomen significans talia duo non potest esse vniuocum: sed subiectum, & accidens, sunt diuersorum generum: ergo si concretum vtrunque significaret, esset simpliciter æquiuocum: quod non videretur conueniens: quia tunc nulla propositio simpliciter esset vera, in qua ponitur

Com. 25.

Com. 34.

Com. 4.

Tex. 35.

Tex. com.

14.

Tex. com.

13. & circiter.